Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/theatrumreformat00amst

THEATRUM REFORMATUM.

AMSTELOPHILO.

THEATRUM REFORMATUM.

AMSTELOPHILO.

NEC fronte rugis tetricâ, legi, jocos
Nec mente quae nullos ferat,
Priſco Catoni non amicum, condidit
Ignota quod carmen manus;
Renovata celebrans Amſtelaedamenſium
Celſi Theatri exordia:
Carmen, vel ipſe Tullius ſedeat licet
Latinitatis arbiter,
Sermone puro, antiquâ & elegantiâ,
Quod ille ſcriptum dixerit:
Carmen, vel ipſâ quod Thaliâ judice,
Factum Süadâ præſide.
Sed tua, *Diſerte*, quamlibet facundia,
Quae ſentis haud ita placent;
Laudeſque comicae, altius quam digna ſit,
Extollere videris Domus:
Quae dum juventae, jam voluptates nimiùm
Sectanti, eiſque deditae,
Miniſtrat ultro, quam, paratam, ſubtrahi
Prudentius ſit, materiem;
Nummique ſimul & temporis diſpendium,
Rerumque, faciat auctor eſt:
Hirſuta cultu fuerit olim ſquallido
Poëſis, eſto, Belgica;

Sit inſtituta Scena tum rectiſſimè;
Et Curiae, Sacris, Foro,
Populoque ſimul profuerit, uti barbaris
Dum dedocet vocabulis;
Illic cothurno rarior Tragoedia
Impar Sophoclis acta ſit;
Sales Menandri plauſus illic ſaepius
Vulgi retulerint & Patrum;
Nonne ipſa vitii duxit, ut fere adſolet,
Non levius in vitium fuga?
Quid ergo? ludos exſulare hinc ſcenicos
In aeviternum juſſeris?
Propterque abuſum tollere uſum vis rei,
Quae, dulce miſcens utili,
Punctum omne, juveni, dum, ſenique perplacet,
Cenſore fert Horatio?
Inculta, protinus, & nefanda barbaries,
Horrenda & ipſis moribus,
Belgis redibit, atque ſermo Pictonum
Sermone parum cultior:
Incomptus aures perſtrepet lotos ſonus,
Nares nec emunctae ferent,
Quas Templa voces, quas dabunt Curiae, Fora;
Quaecunque ſcribent Poſteri.
Elegantiarum ſupererit quiſquis ſtudens,
Audire ſacras abnuet
Orationes, ac ſuis laxas dabit
Vitiis habenas turpiter.
Hunc, ergo, ſannae quem prius mutaverint
Cenſura quàm Catonia,
Virtutis almae quod reducat in viam,
Reſtabit omnino nihil.
At, ô jocoſi jam memor plùs quàm boni,
Ratione nondum viceris:
Prodeſſe ſcenam poſſe non ego negem:
Prodeſſe paucis adſero.

Utile

Utile ea dulci ſaepe miſcet, attamen
Haud rarius non utile.
Quod, involucris, dum propinat, plurimi
Queis faſcinantur abditum,
Corrumpit avidas omnium in praeſens modo
Quae grata ſunt, inprovidas
Mentes futuri, eaſque coecis inplicat,
Luxuria quos nectit, dolis.
Illita melle noxia ut quis pharmaca
Deglutienda porrigit.
Fallit volucrem ſic doloſus, fiſtulâ
Dum ludit, auceps ſimplicem.
Dignis virorum carmen efferat modis
Regale laudes fortium;
Quos nec Tyranni vultus inſtantis, levis
Nec aura vulgi mobilis,
Ardorve præceps mente quaſſavit ſolidâ
Juſti tenaces mordicus:
Accendat exemplorum, ut optimè poteſt,
Animos celebrium aemulos:
Dum digna nigro, alboque digna calculo,
Fert laudibus promiſcuè;
Non his, ſed illis plurimorum lubricas
Mentes ſequendis pellicit.
Has enim imitandis dociliores turpibus
Quis neſcit eſſe quàm bonis?
Flectique in omne cereas vitium? ſuâ
Culpâ, an parentum, nil moror.
Facile eſt in ima de jugo convallium
Quemcumque montis ducere:
At non volentem ad culmen ut altum trahas,
Par Herculi ſis viribus.
Quos ſponte profert Terra, ſiquis carduos
Serat, colatve ſedulò;
Nonne hunc Oreſtes ipſe dejeraverit,
Non ſanus, impotem ſui?

Et tamen huic Scenam esse quàm simillimam,
Plerumque, nemo non videt.
Nefanda gentis illa mortalis lues,
Vindicta, quâ funestius
Non Terra monstrum, non Pelagus ingens alit,
Ut saepe prae modestiâ,
Suique dominâ mente, nec, quoties volent
Alii, inquietâ, extollitur!
Heroicae instar illa pene laudibus
Virtutis onerari solet:
Ridetur haec, illiberalis ingenî
Venire sueta nomine.
Nec jam vetustis finibus nostrae amplius
Gaudere Tragoediae licet:
Quos non minori Gallico quondam scholâ
Grajorum acumine editi,
Statuere summo jure principes viri,
Cunctis celebres saeculis:
Vestigia quorum pressit ingens Hoofdius,
Olim, atque Agrippinas Olor:
Placuere mores exteri, & quam caetera
Mutationem experta sunt,
Et Scena sensit, inque terminos breves
Ludos coactos cernimus.
Utramque facere semper illis paginam
Quis est qui amores nesciat?
Omnesque id unum persüadere civibus,
Amore cuncta vincier.
Quod, si, profectò, nullus umquam dixerit,
Non esset ulli ignotius.
Ergo vester Heros illud unum cogitat
Amori ut optimè litet.
Huc ille cunctas actiones dirigit.
Hoc propter asperi nihil
Terrent labores, insitus fugit timor,
Hoc propter & pericula

Mor-

Mortesque temnit, ut cubili, quo cupit,
Tandem potiri competat.
Eâtenus saltem, haud neges, dignissimus
Manchensis aemulus Viri,
Qui propter unam dura multa & ardua
Suam Glycerium pertulit.
At! at! protervâ, quae ciet risus leves,
Quid Fabulâ nocentius?
Quae quod videtur carpere illud veriùs
Suadere censeri queat.
Incauta clam virgo parentes & procus
Jungunt fidemque & dexteras,
Et quæ Cupido victor ales, alite
Cum fratre, suadet foedera:
Pacta hinc tuentur inque-ludunt patribus;
Votique tandem compotes,
Frustra haec vetari saepe, dum non cesseris,
Sui sequaces perdocent.
Furtiva quoties haud voluptas qui coli
Possit, jocando ostenditur?
Pravique mores & pudenda crimina
Monstrantur horum nesciis?
Quid furto herili suggerens aurum Syrus?
Quum vult amica, filio?
Exsistit auctor, atque fomes plurium
Quas nemo laudet artium.
Nonne hisce multos, queis & ambiguum est iter
Errorque vitae nescius,
Impelli, ut ajunt, *in apes*, facillimè,
Dic, quaeso, fas est credere?
At, asperos, quicunque sint, monentibus,
Quo corrigam, rogas, *modo?*
Risu jocisque leniùs pungas eos.
Hoc maximè tantùm cave,
Ne falsa veris misceas, salubribus
Nociva, honestis turpia.

Ri-

Ridenda tantùm ride, digna laudibus
Collaudes, illaque unicè:
Mentiſque, ſiqui aliam medelam reſpuant,
Hac corrigas morbos via.
Perſtringe mores, ſi peroſus ſis, malos
Ita, ut placere nemini;
Ita ut juventae capere nullis mobiles
Illecebris mentes queant.
Nulla foeda dici, foeda nulla conſpici,
Tangant Theatri limina.
Saltus protervi, longiùs abſint, rogo.
Modeſta Scena tota ſit.
Non nimia in illis eſſe circumſpectio
Rebus, mihi credas, poteſt;
Animos voluptas ipſa queis auctoribus
Subit, atque, nec opinos, rapit.
Haerent tenaces firmè, & uſque, adfectuum,
Voluptuoſae imagines:
Nec illa poſſunt mentibus praejudicia
Negotio evelli levi,
Quae grata noſtris ipſa ſenſibus ſimul,
Gratoque venerunt modo.
Sic ſi reformes; Scena fatis, voverim,
Iô! fruatur proſperis!
Nec ſaeculares Ludios injuriâ
Egiſſe ferias dixerim;
Majore jure nec has celebratas negem;
Quam quas, abhinc decennio
Tribuſque ter annis, celebrârunt Patres
Scholae Batavae Praeſtites.

MEDIO TUTISSIMUM.